

SANCTI ANSELMI

SERMO

DE PASSIONE DOMINI

(Ex ms. n. 1697 Bibliothecæ Regiæ.)

Domine Iesu Christe, pastor bone, qui pro grege tuo mori dignatus es, agnosce me inter oves tuas et trahere ad pasca tua, et agnosce ovinulam tuam ut merear esse ad dexteram tuam. Fac me participem gloriæ tuæ qui amarum calicem bibisti pro me; poena tua torquet conscientiam meam, tormenta cruciant memoriam meam: ego enim timui ⁸⁹ potionem quam bibisti; ego peccavi quod tu tulisti; ego servus contumax commisi quod tu devapulasti; ego ⁹⁰ quod tu exsolvesti; causa tuæ mortis fuit iniquitas mea, vulnera tua fecerunt crimina mea. Væ peccatis meis, quæ tam, amara morte expiari oportuit. O peccata mea, quam amara fuistis, quæ mihi dulcedinem promisistis et me fecellistis! O Eva infelix quæ pomum momordisti et mortem omnibus intulisti, imo et Deum et hominem nobiscum occidisti! O infelix homo qui brevi voluptate te diabolo tradidisti, et te et tuos perdidisti! Deo quidem nolente et prohibente, mortem communante, diabolo consensisti; Deo disponente, bonum invenisti, gratiam accepisti. O ineffabilis misericordia! ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia (*I Tim. 1, 14*), ut cum satisfacere pro culpa nullus deberet nisi homo, nullus absolvere poterat nisi Deus. Miserat ut homo fieret, qui cum pro se nil deberet, moriendo pro nobis delictum nostrum solveret. Propterea Deus carne induit; qui est concipitur, Verbum incorporatur, Æternus nascitur, panis involvitur, in præsepio ponitur, circumciditur, baptizatur, esurit, teratur; Deus, ut homo, venditur, capit, tenetur, ligatur, conviciatur, opprobriis saturatur, acetum et felle potatur, spinis coronatur, inter latrones computatur, morte turpissima condemnatur, cruci affigitur. Ecce quomodo proprio Filio non pepercit Deus, sed pro nobis illum tradidit (*Rom. viii, 32*). O gratia tradentis! o pietas mortis! o bone Iesu! o pie Iesu! quid tribuan tibi, quid sustinebo pro te qui tot et tanta sustinuisti pro me: exhibito operis probatio est dilectionis. Quid ergo faciam qui tantum indignus accepi? quid red-dam? quid repandam? Accipe quod tuum est, fac de seruo tuo quod tibi placet; non debo tibi au-

A ferre jus tuum, non debo dare alieno domino servum tuum: jus tuum anima mea est, servus tuus corpus meum est; jus tuum fecisti animam meam, quando pro ea posuisti animam tuam; servum tuum fecisti corpus meum, quando pro eo tradidisti corpus tuum in mortem. Totum te dedisti pro me et operasti totum in me; emisti tibi spiritum meum, emisti tibi corpus meum, utrumque servum tuum. Tuis ergo sum spiritu et corpore; utrumque debo tibi impendere. Diligam te ergo ex toto corde meo, serviam tibi ex toto corpore. Caligaverunt pro me in morte oculi tui, advertant ne videant vanitatem vagi oculi mei; conviciis et blasphemias patuerunt aures tuæ, patebunt ad clamorem pauperis aures surdae aures meæ; felle et acetum potatum est os tuum, veritatem et judicium loquatur mendax os meum; extensa sunt in cruce manus tuæ, extendentur inopi manus contractae manus meæ. Confixa sunt clavis pedes tui, dirigentur in semitas rectas pedes distorti pedes mei. Apertum est lancea latus tuum, aperiam per confessionem cor meum ut factear vulnus meum. Augustias mortis pertulit totum corpus tuum, et membrum fieret tuum corpus putridum corpus meum. O bone Domine, quid retrahbam tibi pro tantis beneficiis, ego vile mancipium, servus inutilis? Gaudabo an dolebo de morte tua? sane utrumque faciam, gaudabo siquidem de gratia tradentis et de charitate morientis (Hæc ex med. II, *De humana redempt.*, p. 222, 2^a edit.). Sed prius dolebo de causa mortis, id est de conscientia peccati, et condolebo morienti. Si non gaudeo, ingratus sum; si non doleo, crudelis sum: sed quia tempus est flendi antequam ridendi, ambulo tristis demisso capite, et assimilabor passioni tuæ. Ferrum igitur passionis tuæ pertranseat animam meam, et crux tua suspendat concupiscentiam meam. *Configi timore tuo carnes meas*, ut non eam post concupiscentias meas. Mortifica in carne mea stimulos carnis omnesque libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem et vitam æternam. Amen.

VARIE LECTIONES.

⁸⁹ *Leg. confeci, aut aliud simile verbum.* ⁹⁰ *Deest verbum contraxi, aut aliud simile.*